

tum in occidentem cieantur; Quia nimirum sphaeræ inferiores, quo magis a supremo cælo, & ab anima illa mundi distant, eo minus, ut dictum est, efficaciter mouentur; qua de causâ tardius circumferuntur, & pedetentim videntur retrocedere ab occidente in orientem. Hinc quoque efficitur, ut Luna, quia inter cælestes orbis maxime a supremo recedit, tardissime ab oriente in occidentem moueatur, & velocissime, nempe spacio vnus mensis videatur integrum circuitum ab occidente in orientem peragere: Reliquæ vero sphaeræ, quo superiores, eo quoque lentius appareant nobis ferri ab occasu in ortum. Quæ omnia vnico hoc exemplo volunt nobis ob oculos proponere. Sint tres ordines hominum collaterales secundum lineas rectas dispositorum; Incipiantque ex eodẽ loco simul ab oriente in occidentem progredi, hac tamen lege, ut *ij*, qui in primo ordine reperiuntur, celerrimo gressu incedant, tardius autem *ij*, qui in secundo ordine, & lentissime *ij*, qui in tertio ordine existunt. Quod cum ita sit, perspicuum est, Primum ordinem reliquos duos incitato illo cursu antecedere, magis tamen tertium ordinem, quam secundum. Quare si quis a longe dictos ordines intueretur, iudicaret secundum ordinem, & tertium pedetentim retrocedere, & citatiori motu tertium, quam secundum; cum tamen re ipsa ab oriente versus occidentem, seu primus ordo, duntaxat progrediantur. Eadem igitur prorsus de causa videntur, aiunt, nobis planetæ ab occidente in orientem moueri. Hanc porro sententiam eo libentius amplectuntur *Alpetragius*, & *Achillinus* cum alijs auctoribus quod nulla ratione imaginari queant, vnum & idem corpus cæleste duobus motibus ferri, nimirum ab oriente versus occidentem, & rursus ab occidente orientem versus; Quoniam cum hi motus, ut aiunt sint contrarij, necesse est alterum eorum esse violentum, quod fieri non potest; immo absurdum videtur concedere violentiam in corporibus cælestibus, tum quia nullum violentum est perpetuum; Motus autem cæli perpetuus est, ex *Aristotele* sententia; tum etiam quia omne violentum continue magis ac magis debilitatur; Motus autem cæli semper eadem celeritate absque vlla defectione conficitur. Accedit etiã, aiunt, quod non est ponenda pluralitas motuum absque necessitate; Cum igitur nulla nos necessitas cogat, ut fateamur planetas ab occidente in orientem moueri; quandoquidem ob rationem iam dictam nobis ita moueri videntur, frustra & temere inducitur hæc pluralitas motuum ab *Astronomis*. Verum hæc sententia

vera